

DEO DUCE!
DISSERTATIONIS ACADEMICÆ
DE

PUGNIS
LITERATORUM
RIDICULIS

PARTEM POSTERIOREM

Adprob. Ampl. Fac. Phil. in Reg. Ac. Aboënſ.

PRÆSIDE

RECTORE MAGNIFICO

D^N. JOHANNES
BROWALLIO,

S. S. Theol. Doct. ac Scient. Nat. Prof. Reg. & ord.

PRO GRADU

publice examinandam sistit

JACOBUS FALANDER E. Fil.

OSTROBOTNIENSIS.

die XVI Julii Anni MDCCLV. L. H. C. p. m

ABOÆ, Excud. JOH. KIEMPE, Reg. Ac. Typ.

Reg. Acad. MAGNIFICO RECTORI

D. N. JOH. BROWALLIO,

S. S. Th. Doctori & Sc. Nat. Professi. Reg. & Ordin.
nec non utriusque Consistorii Adlesiori gravissimo, ut
& Reg Acad. Sc. Sveciæ membro maxime inclito &
Eccleliarum in Håndamåst & Paatis Antistiti vigi-
lantissimo,

MÆCENATI & PATRONO SINGULARI.

A pluribus retro annis in animum induxi meum, ut publico
mea in ipso hoc pietatis opere & nescit quo id exse-
nus favor vester singularis mihi animum addit, fiduciamq; exci-
tia pignore deletura. Ignoscite itaque, Mæcenates, quod
figere audeam, verbis licet haud exprimere possim quam alte-
tant utique id sam maxima Vestra in me merita, quam
quibus me per plurimos annos, imprimis cum in edibus Ve-
Mæcenates. hoc venerabunda mentis documentum & patia-
cedere insigne, quo, ipsa alioqui destituta, quibusvis
que ingenii mei specimen ad limina vestra devolvitur. Sū-
liis Vestris Nobilissimis ad etatem usque Nestoream in or-
gandum & refugium tutissimum servare, fovere

MAGNIFICENTISSIMORUM



NOMINUM.

Servus de-
JACOBUS E.

VIRO Nobilissimo atque Consultissimo

D. HEN. TAMMELIN,

Dicasterii Regis Regnique in magno Ducatu Finlandiæ Adfessori æquissimo Patris loco multis nominibus colendo,

MÆCENATI MAGNO.

*cultis vos, Mæcenates, aliquando venerarer; At hæret jam mens
quatur pacto, verba negante ipsa tenuitatis conscientia. Nihilominus
tat summa mea in Vos pietas, audacia culpam innocen-
tibus qualicunque dissertationi Nomina vestra Praeclara præ-
Eorundem veneratio animo meo infixæ insideat. Post-
ea mea parte gratitudo & devotissima agnitio beneficiorum,
stris versari mihi contigit, cumulastis. Suscipite proinde,
mini huic opella ex Nominum Vestrorum splendore decus ac-
fermet erit commendatura. Hoc sine, Mæcenates, qualecun-
mulque, velit Summum Numen Vos, Mæcenates, cum Famili-
bis literarum emolumentum atque gloriam & clientum Vestrorum
& hospitare, vobis vovebitque dum vixeris*

& CONSULTISSIMORUM
VESTRORUM

votissimus
FALANDER,

VIRO Admodum Reveren-

Dn. Mag. HENRICO

Ecclesiar. in Identalmi Antistiti vigilan-
posito meritissimo; Fautori certissimo &

VIRO Plurimum Reverendo atque Clarissimo,

Dn. ANDREÆ CAJANO,

Pastori Paldamoënsium dignissimo, ut antea studio-
rum meorum Moderatori fidelissimo, ita jam Fautori
omni honoris & obsequii cultu suspiciendo colendo.

Plurimum Reverendo atque Praclarissimo

Dn. Mag. ABRAHAMO ROERING,

Pastoris & Præpositi in Lojo vicario accuratissimo,
Affini carissimo.

VIRO Spectatissimo

Dn. JACOBO J. FALANDRO,

Inter GamleCarlebyenses Senatori æquissimo & di-
gnissimo, Patruī loco pio animi adfectu jugiter
honorando.

O*B amicitiam, Patroni & Benefactores,*
rem præterea mihi præstitum prorsus singu-
adscribere ausus sum. Memm semper erit Vos
simis DEO commendare precibus, ut salvi sospites

Adm. Rev. Plurimum Rev. Spectatissimorum

Extor humillimus

JACOBUS E.

do atque Praeclarissimo

HELSINGIO,

tissimo adjacentiumq; Parœciarum Præ-
quavis observantia semper venerando.

VIRO Plurimum Reverendo atque Clarissimo

Dn. MATTHIÆ PAZELIO,

Pastori in Keltwiâ meritissimo, olim Informatori fide-
lissimo, Fautori æstumatissimo.

VIRO Spectatissimo

Dn. LAURENTIO STEEN,

Urbis GamleCarlebyënsis Senatori æquissimo, di-
gnissimo, Avunculi loco perpetim suspiciendo.

Plurimum Reverendo atque Doctissimo

Dn. LAURENTIO LITHOVIO,

Divinorum mysteriorum in Lumijoki Mystæ fide-
lissimo, Patruï loco venerando.

*qua cum Parente meo conjunctissimi estis, favo-
larem, Vobis hoc opusculum qualecunque offerre &
& Familias vestras honestissimas piis & calicis
& felices diutissime vivatis & vigeatis,
nec non Doctissimorum Nominum Vestrorum*

& observantissimus

FALANDER,

Til Herr Auðtoren.

Hvad er som hyller
 En tretetsuka,
 Och den förgyller?
 At man vil bruka
 Båd wett och smille,
 I lerdas gille,
 At färskä ut ett null,
 Deraf wår wertid er full.

Oslädig hierna,
 Och konstig fläder
 Will alltid spierna
 Mot bara wedder,
 Förmatit dömma,
 Sig sielfwan glömma
 Är alltid dårars spel,
 Hwems tro blir utan fel?

Inbildning wanckar
 Så stor och mogen,
 Med böga tanckar,
 At engodtrogen
 Han tycker höra,
 Med stutit öra,
 Hur graset waxer opp,
 Och röres i sin kropp.

Så will man feckta
 Om sannings kransen,
 Med bögmöds skecksa
 Och gå i dansen.


Den ena strider
 Om gy'ne tider,
 En annan nyckel ber,
 Til alt hwad hemligt er.

Men gäck och lasta
 Hans tal och tanckar,
 Dig så förhastä,
 Der annat wanckar,
 Ei aktas orden
 Som köld i Norden;
 Nei, red Tig straxt til krig,
 Och war i munnen wig.

Lå se hwem wanner,
 Hwem segren tager,
 Jag mig påminner
 At sannings tager,
 En rättwis kröner,
 Med tof belöner,
 Min Bror du samma dygd
 Har yrkat i wår bygd.

War therför' prisat,
 För denna mögd,
 Du har bewisat,
 At lerdoms gröda
 När ei sin blomma
 Bland trefor tomma,
 Du mönstrat ut med flis
 All säfeng rwißt och split.

JACOB N. HEGGMAN.



§. X.

Succedunt certamina literatorum, quæ per ipsum disputationis subjectum, argumentum aut materiam ridicula sunt. Etenim eo potiores hoc in puncto materia sibi vendicat partes, quo magis cum ratione congruit de controversia aliqua vel pugna judicium non ferre ex reliquis, quantumvis multis & luculentis circumstantiis, antequam constitit, quid illud ipsum sit de quo lis movetur. Frigide si quidquam agitare cernimus, res nihili in controversia esse concludimus; ubi vero omni nisu omnibus viribus pugnatur, mox aliquid magni subesse præsumimus; quod si, accedente ulteriori examine, rem aliter se habereprehenderit utroque modo peccantes ridere solemus. Inter materias igitur, quæ pugnas literatorum reddunt ridiculas, primum merito locum occupant res nihili aut exigui momenti; & tantum quidem ridiculi disputationi inest, quantum conatus & impetus pugnantis materiæ dignitatem superat; in proverbium proinde abiit hujusmodi disputax
A ineptia

ineptia, maleque temper audiverunt de lana caprina, quod *FLACCUS* dixit, de umbra asini $\pi\epsilon\lambda\acute{o}\nu\alpha\sigma$ $\sigma\kappa\iota\acute{\alpha}\varsigma$; quod *LUCIANUS*, aut $\pi\epsilon\lambda\acute{o}\nu\alpha\sigma$ $\kappa\alpha\pi\tau\acute{o}\delta$, ut apud *ARISTOPHANEM* est, rixantes. cont. Pfaffii Primitias Tubing. p. 67. Cujus vitii, inter eos qui eruditionem profitentur, rei imprimis agi solent Grammatici & Critici; quos ex kirco ortos fingit in Metamorphosi *HOLBERGIUS* atque falle exagitat:

Så/ at förvandlas mer än något stod tillbaka/
 I en blotta hornen och en tvördig släggot haka;

Vert: af en gete bock blef en Philolophus,

Som lät sig gifwa namn utaf Democritus.

Af hwilken höglärdt solet/och mängē bokwurm stannar/
 Särdeles Grammatici, som yppa bokstaf-klammer/
 Med hornig pannor mot hwarannan ifrigt stå
 Och uti stridbarhet Stamfadren slågtas på.

Nec proorsus injuria ita in pseudo-literatos iustit
 satyricus noster; frustra enim conabere eosdem ab
 hoc crimine purgare, reclamantibus tot tantisque
 voluminibus polemicis, in quibus de rebus nauci
 tanquam pro aris & focis pugnatur; nec causam
 eorum juvabit, si vel maxime, ut fieri comuniter
 solet, multis verborum ambagibus & ampullis ar-
 gumenti dignitatem & perniciem maximam ex ad-
 optato errore fluentem adstruere conati fuerint;

eo enim ipſo non niſi magis ridiculi evadunt; qui clamorem, lamentationes & querimonias *BARBONII* audiverit, de rerum ſumma agi crederet auctoremque ruinae eccleſiæ vel reipublicæ ſe obſicere, ita leges divinas & humanas violatas clamat & maximas in Republica turbas; nihilominus omnia demum eo tantum redeunt, quod in diplomatibus publicis ſcribatur *Lettres Royaux & ordonnances Royaux*, cum ſcribi deberet *Lettres Royales & ordonnances Royales*. Lubet pauliſper audire ipſum *BARBONIUM* ſuper hac re egregie ſatis differentem: quam pudenda quamque indigna res eſt, quod integer populus quotidie impune committat tam abominabilem & execrabilem ſolæ ipſum? quodque auctoritas publica non eidem indulgeat tantum, ſed ipſa quoque adprobet ſequere ream præſtet. quid boni in poſterum ſperari licebit ſi talis toleratus fuerit abuſus & in ipſis juſtitie fontibus locus corruptioni concedatur? Grammatica fundamentum eſt ſocietatis & commerci humani; quod ſi fundamentum dirutum fuerit, ſequetur tandem totius domus ruina. Poſtne politica ſine Grammatica ſubſiſtere? antequam homines felices evadere poſſunt, neceſſe eſt ut barbari eſſe deſinant &c.

Prolixum hujus modi elegantiffimarum materi-
arum catalogum contexit *CHRIST. WEISSIUS* in
ſuo de tribus archi-morionibus libello; plures ta-
men adhuc ſunt, de quibus re ipſa pugnatum eſt.
In omni enim eruditionis genere inanis quaſiun-
culæ oriuntur, ſi quando rixoſa ingenia & inani-

ratum studiosi, quos Galli apte Maitres des Baguettes vocant, tractationem ejusdem susceperint. Referrī etiam huc possunt omnes logomachiae seu inanes de verbis sine re rixae; quae plurimam controversiarum partem constituunt. Lepide & acute detegit *PASCHALIUS* in Epistolarum provincialium prima Logomachiam, quae inter Monachos Jacobinos & Jansenistas intercessit de voce pouvoir prochain seu potentia proxima; de ipsa enim re inter eosdem accuratissime conveniebat, sed terminus potentiae proximae nota tamen fuit & character orthodoxos ab haeticis distinguit; quem videlicet adhibebant Jacobini abstrahendo a Thomistarum & aliorum Theologorum sensu. Sorbonistae autem cum iisdem monachis in usurpatione praedicti termini convenientes, de re ipsa prorsus aliam tenebant sententiam & tamen utrique se invicem orthodoxos agnoscebant, beneficio vocabulorum potentiae proximae in diverso licet sensu adhibitorum.

Nec minus, sed potius magis ridiculum est, quando de incognitis disputatur & de vocibus quibus nulla respondet notio; quid enim absurdius esse potest, quam disputare & tamen simul nescire quodnam sit controversiae argumentum. *Patacino* cuidam Professore parallaxis res erat incognita, is autem, verba sunt *Dan. Fred. Jani de Doct. umbr.* 10. p. 18, nescio qua mentis insaniam decreverat contra dissentientes ea de re disputare, & cum sibi consulere non posset, adiit Galilaum

referente J. Bapt. Riccioto lib. VIII. Almagest. Nov. Cap. XVI. eumque rogavit, ut sibi explicaret quid nomine parallaxis significaretur; cui autem subridens respondit:

Ergo ne mi domine obfirmasti animum tuum, ut contra illud nomen disceptares cujus significationem ignoras.

Huc pertinent disputationes de rebus captum vel disputantis vel etiam humanum superantibus; quo in casu sæpe pugnae existunt stupendam vanitatem ingenii humani prodentes & lachrymis quam risu digniores, inprimis, quando de venerandis mysteriis divinis agitur, de quibus miseros homines tanta cum audacia rixari vidimus ac si de literis & syllabis aliisque nauci momentis res esset. Flebile quoque ridiculum est, certis præcipue in casibus, quando promiscue de summis regni negotiis disputatur; quorum tamen rationem paucis intelligere datum est. Quam præterea ridiculum est miseros terreticos audire inter se, invicem magno apparatu & animositate disputantes de modo quo mundus condi potuerit, de origine materiae, notionibus rerum creatarum essentialibus, an possibile sit ut spiritus agat in corpus & vicissim, similibusque. Ulterius risum merentur, qui disputandi argumentum arripiunt ab ipsis eorundemque sui statu ac conditione alienum, adeoque de rebus quæ ad nos

nulla-

nullatenus pertinent, disputant; eo pacto disputationes sæpe politicæ, *vulgi* imprimis, quando nimiam ex peregrinis factis sibi partem quis sumit, ridiculi evadunt; interim tamen haud raro accidit, ut ex ejusmodi alienis oriantur rixæ, odia & factiones domesticæ. Sunt & quædam res ejus naturæ, ut quamvis nec captum superent, nec alienæ sint, tamen de illis disputare non liceat vel saltem vanum sit. Talis antiquitus habitus est gustus, unde proverbium: de gustibus non esse disputandum.

Sic, cum intellectus non sit facultas libera, nec penes hominem sit aliter res concipere quam ipsi obvenerint, ridiculum est ob discrepantes conceptus alios odio prosequi & convitiis proscindere, cum instrui & informari deberent. Huc pertinet, cum de notionibus nominalibus disputatur aliisque, in quibus, per naturam rei, frustra consumitur opera. Addimus tandem pugnas contra pugnas institutas; quando qui disputare non licitum esse statuunt, contra disputationes disputant; adeoque proprio facto defensionem opinionem destruunt; quo vitio multi peculiarem morum sanctimoniam profitentes laborarunt, eoque ipso risui aliorum se exposuerunt.

§. XI.

Multa literatorum certamina sub ratione quoque *adversariorum* ridicula evadunt; quo in puncto facile illi peccant, qui maximo fastu inflati eadem

eadem cum aliis sentire erubescunt. Hoc vitium in fortiter intelligentibus, ut dici amant, Gallice *Esprit forts*, sæpius observamus, atque paradoxis quibusdam philosophis, qui omnium lubentissime contra omnium fidem & experientiam disputant; quam etiam ob rem dudum invaluit communis opinio, nihil tam absurdum esse, quod non ab aliquo Philosophorum defensum sit. Eo igitur infantiæ nonnullos progressos fuisse videmus, ut totum fere genus humanum adversarii loco habuerint. Mitius aliquanto peccant, ridiculi tamen sunt, novelli literatuli, qui ut nomen aliquod atque famam acquirere possint, maximos viros & in republica literaria præcipuos adversarios eligunt. Contra autem etiam illi se risu admodum dignos præstant, qui ingenti omnibus & ubique ostentandi pruritu ducti, cum nemine, si vel rudissimus fuerit, de subtilitatibus, quibus sibi placent, philosophicis, disputare intermittunt; quos eapropter ut paradoxos & absurdos vulgus exhibilat, prudentiores autem ut vanos & stultos rident. Fuit autem illud animi *BARBONIANI* primum illustre documentum, quod e Schola domum rediens, cum didicisset syllogismos facere, parentibus in omnibus contradiceret, eosque per omnes figuras refutaret. Efficit nimirum sapiens eminendi & disputandi studium, ut contrariam propriæ opinionem defendere instituat ridiculus disputator, quam primum intellexerit

lexerit alios secum sentire; te enim indignum esse putant fovere vulgares & communes sententias; in raris autem & a communi sensu abhorrentibus summam gloriam atque honorem consistere. Ridiculi quoque sunt, qui contra totas gentes bella literaria instruunt, fastu quodam vano nationali imbuti, quod Germanos, Gallos & Anglos nonnullos fecisse deprehendimus, antiquos Romanos & Græcos, qui barbaras gentes contemtim habuerunt, quosque eam ob causam nonnulli eorum subinde carpunt, longe stultitia superantes. Neque hoc loco prætereundi sunt, qui mortuos agrediuntur literatos, ut eo facilius vincere & triumphare possint. Accedunt adhuc, qui nuda verba pro adversariis habent, de quibus pauca in superioribus dicta sunt. Immo, nec proliis desunt, qui cum se ipsis pugnant, quorum in cerebro continui motus, turbæ, seditiones existunt; quibus annumerari jure possunt Sceptici & Pyrrhonicæ, quos omni nisu id egisse, ut non aliorum modo sed etiam proprias sententias & omnem omnino veritatem refutarent, tradit historia.

§. XII.

UT in pugnis adhibentur arma, ita quoque literati pugnantes media quædam adhibent, quæ armorum vicem supplent; suntque ea haud raro ejusmodi, ut eorum ob causam ipsa certami-

mina ridicula pronuncientur. Apparatus armorum quem libris tribuit *SWIFTIUS* in Bibliotheca regia Anglicana prælium ineuntibus, hujus certaminis ridiculum sæpius ingeniose prodit; hæc tamen ad rem nostram præcise non pertinent. Per arma deinde, non minus quam per cetera stultitiæ specimina ridiculus est famosissimus ille heros Romanensis *don QUIXOTE* de la Mancha, Chevalier de la triste figure; quamquam autem ejus exemplo lapsus ingeniorum fabulas Romanenses fabricantium depinguntur, non tamen ibidem vitium nostrorum certaminum conspicitur. Propius vero ad præsentem scopum accessit *Ferramusus*, cujus lepidum doctos famelicos ludit ingenium. Ut armis vim & propulsamus & inferimus, ita quoque in duplici eadem occurrunt differentia; *scutum & galea* corpus tegunt, *gladio telisque* inimicum confodimus; plura tamen apud literatos bellatores observantur armorum discrimina; quorum nonnulla tangere liceat; Turba sub *vexillo* vanitatis militantium, *tympana* charlataneriæ strenue pullans, auctoritatis tormenta, in prima acie disposita; dexterrime explodit & tanti roboris creberrimis ictibus omnia prosternit; *Rabulistica* alii arte tanquam *solopetis* dextre utuntur & continuata serie blaterantes, explosionem illam concatenatam, quam vernaculo sermone *Riddie-Salsiva* dicimus, haud incongrue imitantur. Personalibus, diæteriis atque convitiis & famæ arrosionibus tanquam *sagittis* multi

adversarios confodere conantur; *gladios* alii *Logicos*, alii *Criticos*, alii *Grammaticos* &c. stringunt; haud pauci altitudine vocis nituntur & clamoris *lanceas* vibrant. Inprimis autem milites nostri doctis gestibus tanquam proprio *vestitu* (uniform) amicti incedunt pennisque peregrinis tanquam *lorica* induti; videbis, qui obscuritatis *galea* primariam corporis partem tegunt, & *scuto* pædantissimi scientiæ veritatisque vim eludunt. *Opinio* eruditionis multis *munimentis* atque *fortalitiis* loco est, in quo tuti adversarios despiciere possunt. Egregius hic exercitus *sarcinas* præterea malorum librorum, variarum opinionum & fallarum traditionum semper secum vehit, ac pro *commeatu*, legio præsertim antiquaria, blattis, tineis atque ærugine utitur; quod si vero, tam provide licet atque perbelle instructis omnibus rebus, nihilo secius minus favorit in conflictu fortuna, necessitate exigente, facile *aggere* le cingit docti silentii & *fossam* eidem jungit dubitationis; quod proprio huius gentis sermone *επιχθιν* dicitur.

§. XIII.

Sequitur jam *modus* pugnae, ad quem licet haud pauca ex superioribus etiam referri possint, nonnulla tamen adhuc dicenda restant, quæ ridiculum inde fluens ulterius explicabunt. Et *cominus* & *eminus* athletas nostros pugnare cernimus, sæpius licet ea ratione, ut an præsens sit adversarius an vero absens, difficulter discernere possis; si, e-

xem-

xempli causa, ex impetu vocis & fragore erumpente judicares, crederes homini rem esse cum adversario aliquot passuum millia a se distante, qui tamen adeo prope a vociferante abest, ut levi negotio ipsis distentis manibus attingi possit. Clamitat, rixatur, argumentatur, manibus pedibusque adeo quis disputat in museo vel Auditorio, ut oculis necesse sit quæras inter præsentis aliquem, qui his omnibus petatur, pavidum & infelicem hostem; sed is tamen in alio demum regno, in alia mundi parte centum ab hinc milliaribus securus & tam atrocis sibi illati belli ignarus vel dormitat vel ludit vel lucubratur. Nanos giganteis gladiis prociñctos quis non rideret, cum robur tantillorum laceratorum ponderi armorum nullatenus respondeat; qualem vero illam futuram pugnam censes, ubi iidem homunciones his armis multo cum apparatu & confidentia *punctim casimve* congregiuntur? & tamen haud raro hebeti hoc atque immobili ferro tenuissimum capillum scindere & in plurima filamenta dividere his artificibus haud infrequens est, quippe qui eo sæpe pacto victores exstiterunt; *spectatum* tamen *admissi risum teneatis amici*. sæpissime in ridicula hac palæstra obtinet & viget antiquitus celeberrimus ille *andabatarum* pugnandi mos; religatis enim pugnatur oculis & strenuissimi gladiatores maximo conatu aëra verberant. Inprimis in his pugnis adeo regnat *confusio*, ut interdum vel adtentissimus

spectator qui affirmativam quæstionis, qui vero negativam tueatur, discernere nequeat. Novimus quendam, qui dono obscuritatis eminenti adeo gradu donatus fuit, ut sine dicendi facto, ipse juxta cum auditoribus quid dixerit prorsus nesciverit. Quales bellatores eo saltem in puncto felices prædicamus, quod nullo pacto erroris convinci queant, nec vel ipsum sanctum, quod dicitur, officium timere necesse habeant. Contrarium his modum in pugnando alii servant, qui nimia claritate & distinctione id haud raro efficiunt, ut nihil videant aut discernant: *Stulti dum vitant vitia in contraria currunt.* Sunt, qui omnia ex definitionibus nominalibus petunt, quorum morem immitatus quidam in scripto: *Der Philosophische Schuster-Gesell*, methodo mathematica, ex solis definitionibus nominalibus lepidissimum calceum construxit. Nec *stratagemmatibus* pugnare insolitum est, quæ sunt vel *logica* vel *æconomica*; illa ex proxime dictis intelliguntur; quo etiam pertinent varii generis *sophismata*; hæc vero in arte *parasitica* explicantur, cujus in certaminibus ridiculis, inprimis moratorum, frequentissimus usus est. Et insigniter quidem mihi ridiculum videtur, quando titulis, elogiis & omni genera adulatione ira inter se certant eruditi, ut ipsa dissertatio dedicationibus, epitaphiis & panegyricis absurdior evadat & falsior. Ea demum est militum nostrorum vel industria vel fortuna, ut cum tape morbo quodam laborent castrensi, quem *di-*
arrhæ-

arrhæam loquendi vocare solemus, ipsa ejusdem fœditate adversarios sæpe cedere cogant & aut victoriam reportasse, aut saltem dubiam alteri reddidisse vulgo creduntur. Ultimo neque id prætereundum esse judicamus, quod belligerantium morem imitentur in eo etiam nostri, quod sapius utraque pars sibi victoriam tribuat; illud autem magis ridiculum est, quod totam subinde pugnandi rationem ita instituant, ut a cantione victoriæ eandem ordiantur, immo, eo quisque fortius pugnasse, & eo majorem victoriam reportasse sibi videatur, quo pluribus cymbalis quoque majori apparatu altiorive voce victoriam cecinerit.

§. XIV.

Restant adhuc *circumstantiæ* certaminum nonnullæ, quæ ad reddendum eadem ridicula haud contemnendam symbolam conferunt, quales, exempli causa, sunt *loci & temporis*. Etenim pruritus disputandi atque contradicendi quo magis inconvenienti erumpit & loco & tempore eo etiam risu reputatur dignior. Ita quæ ad comitia, curiam, cathedram &c. pertinent dissertationes, quando ad suggestum trahuntur, ridiculum efficiunt perorantem ad populum. Quid de eo judicares, qui in nuptiarum solennitate pro cœlibatu & contra matrimonium disputaret, aut coram *AUGUSTO* vel *MARCO ANTONIO BRUTI* laudes atque *CASSII* celebraret? est tamen genus hominum, quod eo pacto rem suam se strenue egisse

crederet & vel in Parlamento Anglicano monarchicam regiminis formam atque Versaliis populare imperium commendaret, aliterque sentientes refutare conaretur. Cum floreret Cartesiana Philosophia, animal quoddam disputare Gymnasio rediens in convivio rusticorum proponebat quaestionem de sensu brutorum, quo, videlicet, eadem carere adeo acriter defendit, ut dorso cappilloque disputandi libedinem luere cogeretur. Medicus quidam, cui cum viro docto contraversia fuerat Philologica, ad eundem graviter aegrotantem accersitus, antiquas rixas renovavit; *at ego, aegrotans inquit, febrim Grammaticam non laboro.* Huc etiam referrem, si quando, tempore quam maxime inopportuno, controversia de jure ordinum suffragandi excitaretur, salute reipublicae nullam negotiorum moram patiente, nisi hoc in puncto discrimen reipublicae omnem ridiculi sensum dilueret. Alia exempla, quae infinito fere occurrunt numero, praeterire jubet festinatio.

§. XV.

QUOD demum in ipso conflictus *IMPETU* ejusdemque circumstantiis ridiculum certaminum nostrorum quam maxime emiceat & ex ipsa rei natura patet & ex superioribus satis superque colligi potest; ut enim orationis vis haud parum ab actione dependet oratoria, quippe quam solam maxima auditorum pars semper respicere solet, eamque ob causam miseros, sed procaces, declamatores bonis saepe orato-

oratoribus anteferre, ita in actione disputatoria prudentes auditores naves confligentium risu dignos quam facillime detegunt. Aliquanto quidem major quam fert ratio ridiculi nostri videtur fuisse celebris ille ardor, quo dogma quoddam tam violenter propugnavit in aula *MARGARETHÆ* Galliarum Reginarum quondam literatus haud incelebris, ut abacum regiam cum omni superimposita suppellectili pessumdaret; largam nihilominus ridendi materiam hæc actio aulicis præbuit. Etenim fervor & ira, ut antea quoque monuimus, ridiculi manifestationi quam maxime favent; hinc clamores ad raucedinem usque nariumque profluvium; hinc gesticulationes, manuum pedumque agitationes tamquam in lucta, haud aliter ac si robur argumentorum in pugnis talisque quæreretur. Sunt, qui, exemplo fortissimi cujusdam herois, sine brachiarum injuria egregiam pugnam edere nequeunt. Ut autem risu digni judicantur, qui fervori, imprimis quando de rebus minoris momenti agitur, indulgent, ira, neque placida atque modesta agendi ratio omni semper ridiculo caret; qui frigide causam e. g. Dei, religionis patriæque agit, si cæteroqui bonus vir fuerit, haud leviter peccare judicatur. Nec minus ridiculum videtur res magni momenti tractare ac si nauci essent & ad delectationem solum atque lusum ingenii pertinerent, quam de incertis cum confidentia loqui & quisquillas magno cum impetu versare. Restant adhuc multa quæ in impetu disputationis

occur-

occurrere solent & ridiculi characterem gerunt; sed non licet his amplius immorari,

§. XVI.

PRomissis ut stemus, exempla adhuc certaminum ridiculorum, per disciplinas eundo, investiganda erunt; licet enim non disciplinarum vitio, sed personarum illis incumbentium existant hujusmodi pugnae, genus tamen simul studiorum bellatores nos distinguit, haud aliter ac vexilla, legionum vestiumque differentia milites. Latissimum hic se nobis aperire campum nemo ignorat, nisi cui facies Reipublicae literariae praeteriti praesentisque temporis penitus ignota est; Et profecto historia certaminum inter doctos ridiculorum vix vastis voluminibus absolvi posset; perinde enim ac in civili ita etiam in literaria historia bella partem occupant maximam, minimam vero pacis artes, incrementa eruditionis solidae atque humano generi proficuae. Sed a scriptoribus antea laudatis, utpote *ENSTO*, *MENKENIO*, *H. G. AGRIPPA* aliisque exemplorum huc facientium larga messis collecta est. Apud Scriptores deinde Historiae literariae & Ecclesiasticae multa sparsim occurrunt; eadem igitur hic repetere & actum agere nolumus; interim tamen ne prorsus nihil & nos praestitisse videamur, nonnullas, recentiores imprimis, illustres ex ridiculo, quod gerunt, controversias breviter indigitabimus; Lectoris benevolentiam implorantes, si leviora quae attulerimus depre-

deprehenſa fuerint, noſque apud promiſſi noſtrⁱ memorem Horatiana illa digni cenſura:

Quid dignum tanto tulit hic promiſſor biatu?

Hæc cum typis jam exſcripta eſſent, ex inopinato talia nobis impedimenta objecta ſunt, quæ fidem in præſentiarum liberandi omnem nobis eripiunt facultatem; in aliud proinde tempus aliamque, ſi quando forte ſe obtulerit, occaſionem, quæ reſtant differre cogimur; interea tamen rogantes velit B. L. ſequentia corrigere

ERRATA TYPOGRAPHICA.

pag. 6. lin 18. certaminibus, adde eorundem

ibidem l. 25. ſalle, lege ſalle.

ibid. l. 27. *AGRIPPA*, adde in libro.

pag. 9. l. 8. ſames, adde &c.

ibid. l. 14. In, lege in.

p. 10: l. 13. conſpicuam, lege conſpicuum.

p. 17: l. 4. *ſimus* lege *ſumus*.

ibid. l. 22. paullatim, lege paulatim.

p. 21: l. 10. agitare, lege agitari.

p. 22: l. 9. *ân* lege *cif*.

p. 24: l. 17. orthodoxos, lege orthodoxos.

ibid. l. 19. adhibitorum, lege adhibitorum.

p. 26: 20. lege 26.

ibid. l. 1: diſputatines, lege diſputationes.

ibid. l. 4. ridiculi, lege ridiculæ.

Veritatis ea est vis & prestantia, ille scientiæ fulgor, ut
 omnium eorum animos collustret, qui liberati a pre-
 judiciorum & opinionum nebula, oculis perspicacioribus eam
 inveniunt. Sed ut in plurimis aliis rebus, ita & heic do-
 lenda est stultitia & morositas mortalium, qua ipsi sibi met
 tenebras inducunt, & veritatis cognitioni obicem ponunt.
 Illorum autem, quorum jam animos collustravit lux
 veritatum, est, quanto potuerint studio, hos ad meliorem
 redigere mentem, & lucem illis ex sua face accendere. Sed
 & horum multos eadem infectos labe reperies. Conspiciun-
 tur enim in illis maximi defectus & intellectus & volunta-
 tis, quod vel exemplo illarum ridicularum pugnarum patet,
 quas inter se andabatarum more instituunt. Quarum in-
 dolem Cl. Dne. Auctor, in gemina dissertatione Tua deli-
 neasti. Unusquisque, qui acumine justo pollet ad discernen-
 dum, quid discent ara lupinis, maximas certe Tibi adju-
 dicat laudes; detexisti enim hæc vitia eruditorum acutissime,
 & sustulisti hoc obstaculum prograssus scientiarum, conspicu-
 am hoc ipso faciens simul eruditionem Tuam certe singu-
 larem. Gratulor Tibi hæc omnia animatus, Gratulor etiam
 Honores Philosophicos, quos ut propediem excipiant premia
 alia, Tuæ eruditioni & virtuti respondentia, ex intimis
 cordis penetralibus voveo

O. R. NORDSTEDY.